Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2247
Quelle:
Copyright:

fuit, *Magistri Joannis Palomar scriptum contra Basileense concilium.* Verum suspicor tantum; nam parum certi e sicco illo Nomenclatore petas. Interim Titulum hunc etiam transcripsit *Bayerius* in *Notam* suam ad *Biblioth. Hisp. cit.* p. 225. ubi Scriptorum *Palomarii* Syllabum texendo, quod mireris, addit: *Plura forsan apud Fabricium, Canisium, Trithemium.* An caruit Bibliothecae Reg. Praefectus his Literatoribus, quibus Literatorum nemo carere potest? An de Populari suo agenti incommodum fuit, eos in manus sumere? Illud addo: *Palomarium* Conclusionibus supra dictis praemittere: *Cum essem in partibus Alemanie iuxta fines Vngarie hec que sequuntur scripsi.* Igitur aut *Viennae*, aut *Brunae*, ubi negotiorum, quae in *Scriptt. Univ. Vien.* P. I. narrantur, caussa an. 1434—35. morabatur.

VI. *fol.* 288. *Ad allegaciones in quadam disputatione per Rev^mum in christo patrem . . Cardinalem S. Sixti adductas quibus Basilienses intencionem suam Contra dominum papam Eugenium fundare nituntur Responsiones edite per quendam Magistrum in theologia cuius nomen in fine operis est descriptum subsequuntur.* Ad finem igitur: *Explicit Responsio facta per magistrum Johannem de turrecremata sacri pallacij Apostolici magistrum Anno incarnacionis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimonono.* Poterat parcere Librarius aenigmati; idem enim est *Cardinalis S. Sixti* et *Joh. de Turrecremata*, neque respondet Magister Palatii Cardinali, sed audi ipsummet perorantem: *Responsionem* (ad Adsertum Basileensium, quod Superioritas Concilii gen. supra Papam sit veritas fidei catholicae) *in presencia Beatitudinis sue* (Eugenii) *et Rev^morum patrum Dominorum Cardinalium omniumque fere prelatorum huius sancte Synodi ycumenice* (Florentinae) *multorumque aliorum patrum et Doctorum satis ex tempore factam nunc parum copiosius et extensius collegi* &c. De bina igitur unius ejusdemque ad *Basileensium* argumenta Responsi editione res est, una tumultuaria, altera secundis curis revisa, dum interea Palatii Magister Cardinalitium adipisceretur. Initium illius est: *Notastis teneo superiori die pro vestra sapientia et humanitate* &c. Duo inde Exempla profert *Nic Antonius Bibl. cit.* P. II. p. 291. et ex eo *Quetifus* in *Scriptt. O. Praed.* T. I. p. 842. in *Codd. Vatic.* reposita et ἀνέκδοτοι. Atque apud hos Autores etiam plena de insignis Viri hujus, qui *Romae* a. 1468. extremum habuit, Fatis et Scriptis subficitur notitia. Illud monendum, *Johannem de Turrecremata* seu *Torquemada* non debere confundi cum *Thoma* hujus Nepote et pariter Ord. Praed. qui *Inquisitionis* Osoribus familiare Thema est.

VII. *fol.* 327. Incipiunt decurrere *Sessiones Concilii Basileensis* a II. ad XLIII. additurque ad calcem